

ipsa sagax edocuit. An non Rex apum (ut alias dixi) sine telo inauguratus est? medius ille suarum legionum, & illustribus notis fulgentior incedit, ut sol medius planetarum, sola majestate verendus. Mirum dictu! in pugnacissima gente irarumq; fervida inermem Regem, ad cuius nutum signa moventur & castra. Tu, qui regnas, imitare naturæ documentum, detrahe tibi tela furoris, & moderare animum iramqve, sufficiat pepercisse cum possis, aut saltem mitiori pœna castigasse. Memineris regulæ illius: vis amari, ama, & amabilis esto. Securitas securitate mutua paciscenda. Nihil securum, ubi nihil à rege securum, vel regente. facilius paretur patri, facilius paretur remissius imperanti: Contumax enim hominis animus, & in contrarium nititur exterius pressus. Tactu blando ducitur, & sequitur more generosorum equorum, qui plausibus potius, quam calcaribus se duci patiuntur. Plutarchi sententia *Regum est metuere suis, Tyranni suos*. Quorum potentia ut crescit, crescit & metus. Imitabitur Rex naturam summi DEI, qui se vult patrem vocari, & homines à se creatos filios, qui magno supplicio jubet se amari, non serviliter timeri. Fulcrum ergo & fulgor clementiæ est mutuus amor.

Epilogus ratiocinii erit Agesilaus apud Xenophontem. Ille plurima loca, quæ videbantur in expugnabilia, sua clementia & humanitatis sinceræ blanditiis expugnavit. Disce qui regis corda ferrea, quæ nullo metu vinci poterant, igne clementiæ expugnari. Fidus minister amicitiae est amor: infidus satelles est metus, facile jugum subit, qui amat; facile est amari, qui regnum clementiæ tenet. Non opus est philtro, ut ameris, amabilis esto.

Jam hic te convenio Machiavelle, si Princeps est pater patriæ, si omnia illi dirigenda sunt amore clementiæ, quomodo metuendus erit? Tuum enim dogma est, *oderint, dum metuant*. Hoc nihil solidi spirat, in ruina eriguntur quæ sine fundamentis crevere. Timor inest illi pestilens, non vera magnitudo. Unus Seneca confutat hoc dogma, *oderint dum metuant*. Sullano seculo scriptum; dixerim ego à Sulla cruenta fera usurpatum. *Nescio (inquit) seneca, utrum sibi pejus optaverit, ut odio esset, an ut timori? oderint inquit ille. Quid agas, non sentis. Occurrat tibi futurum ut execrentur, insidientur, opprimant. Quid adjicit? Dii illi malefaciant, adeo reperit dignum odio remedium, oderint, Quid? dum pareant? dum non probent? non. Quid ergo? dum timent. Sic nec amari quidem vellem. Magno hoc dictum spiritu putas? falleris. Nec enim magnitudo ista est, sed immanitas. Dira ergo & abominanda vox est. Oderint dum metuant. In odio quid placidi? Quid in metu virtutis, tot telis petitur Princeps, quot oculis. At quanto melius imperium beneficiis geritur, & custoditur; quam armis & metu? in Principem blande & sapienter moderantem populi dirigunt oculos, quos fulgor clementiæ ita perstringit, ut nihil aliud possint aspicere, & in se hærentes pertinacissimè detinant, illum populi diebus ac noctibus intuantur & cogitent. At videamus quid præterea effutiat Machiavellus. Quod reipublicæ perniciosum, id Principi est utile. O execrandum dogma atqve nefandum! Principem plus sibi debere quam reipublicæ. Rempublicam Principis gratia à natura institutam, non Principem in gratiam reipublicæ docet ille. Impie quid agis. Nonne populus Principes & Reges publicis comitiis creat? nonne subjiciuntur legibus?*

par